# DE NERVORUM LAESIONIBUS LUCUBRATINCULA ANTONII DALLA VIA AD...

Antonio Dalla Via

DE

# NERVORUM LAESIONIBUS

LUCUBRATIUNCULA

## ANTONII DALLA VIA

AD MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLVII

PATRVO AMANTISSIMO

**GEMINIANO DALLA VIA**

CANONICO PATAVINO

PERENNEM ANIMI LAETITIAM

DIVTVRNAM VITAE INCOLVMITATEM

VOTIS OMNIBVS ADPRECATVS

HOC OBSEQVII PIGNVS

**ANTONIVS DALLA VIA**

GRATVS DEVOTVS

D.

802

Nervi quippe qui et acceptas ab organis impressiones ad encephalicum centrum transmittere, et cerebrales eisdem irradiationes communicare debent, nervi, inquam, vulnerum ab externis corporibus productorum saepe ac saepius participes fiunt, eorumque laesio, si quando evenit, per phaenomena valde gravia statim innotescit

## *Vulnera*

Inter vulnera, quibus nervi objiciuntur, puncturae, divisionesque imperfectae maximas excitant perturbationes Symptomata sunt: dolor ingens, acer, urens, locoque vulneris adhaerens, qui assidue ac sine ullo lenimento augetur, et ab una parte erga membri extremitatem, ab alia erga nervorum centrum diffunditur. Ab hujusmodi dolore summa oritur agitatio, vigiliae, spasmus, membrorum convulsiones initio peculiares, deinde generales, et plerumque tetanus ac propterea mors

804



Etsi celebres etiam chirurgi puncturarum, lacerationum, sectionumque imperfectarum exempla proferant, nervosque restitutis jam laesorum organorum functionibus sanatos fuisse testentur; nos tamen cum Boyer, Begin, Chelius, aliisque opinamur, ac persuademur, omnino rara esse hujusmodi facta, et in extimorum dumtaxat minorumque nervorum laesionibus innotuisse Cum de nervis magnis ac profundis praecipue agitur, plerique aegri morti subjiciuntur, funestae spasmorum convulsionumque supervenientium consecutioni Si vero cicatrix fortunate obtinetur, tunc nervus aut totam sive ex parte suam amittit functionem, aut sedes remanet morbosae chronicae conditionis, ex qua vel levibus stimulis accedentibus irradiationes cum dolore, spasticae agitationes, et accessus etiam epilepsiae formam praeseferentes excitantur. Ne quis porro nobis succenseat utpote qui ad certum, vel etiam dubium mortis periculum chirurgum esse inertem velimus; varia exponemus therapeutica auxilia, quae hisce in casibus a chirurgiae scriptoribus sedulo adhibita utiliterque fuerunt

*Prima indicatio*

Chirurgus simul ac partem examinat, in qua praedicta dolorum, convulsionum, spasmorum etc., phaenomena manifeste indicant alicujus nervi lacerationem, antequam funesta magia symptomata oboriantur, ex

omnium chirurgorum consilio perfectam nervi incisionem assequi debet. Perfecta hujusmodi resecatio duabus rationibus fieri potest: caustico nempe, et ferro; ideoque inculcatur vulnus esse dilatandum usque ad affecti nervi detectionem, eumque transversim esse obtruncandum. Nonnulli subitam etiam artus amputationem adhibuerunt

*Cura interior*

Nullus est morbus, cui tam discrepans, ac persaepe contraria omnino proponatur curae ratio, quam in nervosis cujuscumque generis perturbationibus. Boyer, Dupuitren et omnes generatim Galli tum opium praedicant ejusque praeparata, tamquam interna remedia sive per vias digerentes, sive per clysteres immissa, tum hirudines exterius adplicatas et emplastra emollientia; quae sane therapia, ut recentiores autumant pharmacologi, contradictionem admittit. Persy et Laurent suadent ut opium sub aquosae tincturae forma in venam cruralem aut medianam injiciant. Hner, Klein contenderunt acidum prussicum per inductionem esse aptum ad frenanda symptomata tetanica, quae in hisce laesionibus adparere solent. Moschus, camphora, ammonium, hydrargyrus, tinctura cantharidum, oleum terebinthinum, ut potant Angli, arsenicum etc. bona adeo judicata sunt remedia, quod felicem interdum exitum habuerunt. Omnes tamen, quos ego consului, chirurgi

406



etsi, data occasione, propositorum varietatem remediorum adhibuerunt, acerbam nihilominus adspexerunt illorum hominum mortem, quos huic subjecerunt curandi rationi.

*Cura et remedia externa.*

Pareo, Bajon, Chalmer, et recentium practicorum plerique simul omnes missionem sanguinis, tepidumque balneum commendant. Felices eorumdem exitus in causa sunt, cur nos quoque hanc curandi methodum nonnulli obnoxiam contradictioni commendemus. Chetius monet addi posse etiam calomelanum, aut aliquod ex deprimentibus quod aeque ac sanguinis missio agere innotescat.

*Perfecta nervorum sectio.*

Phaenomena praedictis omnino contraria perfectam nervorum sectionem suadent. Non dolor observatur, non convulsio, sed quidam stupor, sentiendi defectus, paralysis, horum extensio permansioque symptomatum, amissio praesertim sensus motusque facultatis in proportione sunt cum recisi nervi usu atque actione. Et re quidem vera si nihil aliud, quam stupor et peculiaris debilitas facile evanescens designat laesionem minimorum parvique momenti nervorum, laesionem praecipuorum, aut ad aliquam speciatim actionem exequen-

dam unicorum subsequitur earum abolitio functionum, quae et graviores sunt et diutius permanentes. Haud inficiamur apta divisarum extremitatum directione per adhaerentem processum, et post desudationem substantiae eum nervosa congruentis haberi posse cicatricem, quemadmodum multi physiologi et itali et extranei testati sunt, ac praecipue Nannoni, Bilguer, Monreau: tamen eum Roche, Sanson, Monteggia aliisque, confitendum est naturam non esse tam potentem, tamque felicem, et hujusce generis casus nihil aliud esse reputandos, quam optabiles exceptiones.

*Nervorum contusiones*

Nervi contusi pro laesionis gradu nunc paralysim provocant, nunc sentiendi defectum perinde ac si secti essent, nunc formicationem dumtaxat eum dolore, unde nec sentire, nec moveri queunt. Quae extremo hoc in casu accidunt, fere numquam duratura sunt, functionesque ad normam subinde redeunt. At in primo casu nervum in sua textura omnino alterari non raro videmus, et irreparabilem fieri functionis amissionem. Violentae nervorum impulsioni sive unius partis, sive totius etiam systematis tribuendus est hujusmodi sentiendi defectus tum partialis, tum generalis, et organica inertia, quam corporis infrigidatio, summa arteriarum debilitas, et quaedam ad phlogosim, ad ingentem congestionem et etiam ad gangraenam dispositio comitari

solet. In militibus a gravium projectorum ictu vulneratis haec phaenomena observant chirurgi militares; civiles vero eadem animadvertunt in operariis, qui a corporibus magni ponderis vastique voluminis contunduntur

*Cura*

Ad laesionem, quae levia videbitur, satis erit antiphlogisticam curationem generatim adhiberi, ideoque opportuna censentur subsidia sanguinis missio, hirudines, frigidum balneum, ac propterea emollientia emplastra; quae porro subsidia si ob laesionis gravitatem nihil prosunt, nervus ex practicorum consilio transversim incidendus est. Id cito fieri debet, ut ea prudenter evitentur, quae cunctando nimia funesta possent accidere; ac tutius uti decet ferro, quam causticis, quamvis et haec a multis adhuc chirurgis adprobentur. Post antiphlogisticae methodi efficaciam, si qua functionis perturbatio, si chronicae phlogosis aliquid remaneret, strycnina ad grani fractionem, et revulsiva medicamina magno esse poterunt lenimento ac subsidio.

*Nevralgiae*

Nevralgiae nomine omnes cujuscumque indolis perturbationes, a simplici nempe irritatione ad inflammationem maxime acutam, jamdudum descriptae sunt

Nestrates e contrario nevralgiae, sive nevrilemitis nomine acutam, et chronicam membranae apparatum nervosum involventis inflammationem designarunt, et nevritis nomine omnes complexi sunt inflammationes, quae nervorum substantiam possunt afficere. Nes itaque huic adhaerentes divisioni (licet a practicis ob similia duarum istiusmodi affectionum phaenomena parvi fiat) nevralgiam, aut nevrilemitem definiemus acutam seu chronicam nervosorum involucrorum inflammationem.

*Causae*

Qui de medica scribunt materia, fere omnes nevralgiam excludunt, utpote a violentia causis traumaticis productam, eamque potius a lentis, obscuris inconsideratisque causis ortam contendunt, cujusmodi sunt affectiones morales, excitantium abusus substantiarum, nempe liquorum, cophei etc. Hanc in viris raram, at in mulieribus hystericis et in hominibus melancholiae nervorumque irritationi obnoxiis esse volunt frequentissimam. Broussais a caloris et frigoris vicissitudine fere semper pendere arbitratur, et ab illis generatim causis, quae suppressa cutis functione excitant propter ea membranarum secernentium, idest mucosae et serosae actionem et vim

*Diagnosis*

Nevralgiae quae vultum invadunt, alias sub nomine *tic doloroso* cognitae, dividuntur in super ac sub orbitales et maxillares, prout congruentes nervi trigesimi rami ab illis afficiuntur, et quidam potius nervuli, quam alii dolore excrueiantur. Hisce affectionibus omnium fortasse frequentissimis auris nevralgiae addendae sunt, utpote quae cum illis ad quintum par spectantibus rationem habent eosdemque characteres exhibent ac orbitofrontales nevralgiae, cum quibus et alternae sunt, et saepe congruunt

Inter membrorum nevralgias illae quae nervum ischiaticum afficiunt, frequentiores sunt, et pro diversis hujusce nervi divisionibus diverse nevralgia ischiadica, aut femoropoplitea, aut plantaria nuncupantur. Ad nervi cruralis nevralgias dolores ileoscrotales, lumbares etc referuntur. Celerae nevralgiae praecedentibus rariores peculiare nondum nomen acceperunt

*Symptomata*

Dolor plerumque est subitaneus, momentaneus, etiissimeque fit maxime intensus, mitigatur identidemque recurrit; uno verbo intermittens est. Nevralgiae natura est variabilis, eum modo in rapidis ac violentibus spasmis, modo in concussionibus ictui electrico si-

militibus sita sit: interdum exustionis, horrendae interdum laniationis sensum producit, dum aliis in casibus nunc torporem et formicationem, nunc pruriginem, quasique punctionem excitat, et tandem multos non raro ex praedictis characteribus breviter indoit.

Pressio, quin augeat, lenire solet hujusmodi dolorem, qui ab alio semper puncto proficiscitur, nervique divisionem propere sequitur atque designat. Rubor tumorque raro observantur, sed plerumque febris reactio adjungitur.

*Prognosis*

Prognosis tum gradui inflammationis ac permansioni, tum actioni innititur, quam praecipui nervi, aut omnis etiam apparatus nervosus ad consequentem phlegmasiam exercent.

*Cura*

Quemadmodum nevralgiae eadem fere, qua nevrites, ratione tractantur, sic nos, expositis jam dissimilibus earumque propriis characteribus, hanc methodum postea describemus.

### *Nevrites*

Nevritis in nervosae inflammatione substantiae consistit, admissa etiam chronicae et acutae divisione; nam illae quoque affectiones ab irritanti causa pendentes ob turbatam assimilationem organicam, aut ob extraneum corpus nervis insidens, in totidem resolvuntur tandem inflammationes, donec externum agens, illorum scilicet causa dolorum, non existat

### *Causae*

Causae ad traumaticam naturam generatim pertinent, nempe contusiones, puncturae, laniationes, frigus, humor. Interdum a cutaneae phlegmasiae externae, aut assueti haemorrhoici fluxus suppressione proveniunt. Nevritis in viris aetate provectis, in sanguineis individuis frequentior est

### *Diagnosis*

Nevritis suam habet sedem, ubi agentis externi mechanici impressio fit, ac propterea omnibus in locis manifestari potest. Quoties ab alicujus purgationis aut phlegmasiae suppressione producitur, omnia viscera et quaelibet corporis pars ab acerbissimo hoc morbo potest excruciari

*Symptomata*

Phaenomena hujusce morbi omnino propria dumtaxat describemus, iis omissis characteribus, qui cum praedictis ad nevralgias spectantibus aliquo modo confundi possunt. Dolor assiduus in alicujus nervi directione excitatus characterem habens uniformem, ad pressionem augescens, interdum tactu vel levissimo exurgens, semper autem ex affectae partis motu recurrens, plerumque initio parum intensus, sed progressu temporis auctus gradatim: caloris sensus inter partem, si superficialis sit nervus, rubor cutis atque tumor: phlogosi nonnihil intensae adjungitur frequens arteriarum pulsus, cutis calor, caque symptomata omnia, quae localis inflammationis vim in praecipua organa, nempe stomachum, cor, cerebrum denunciant.

*Prognosis*

Nevritis haud multam praesefert gravitatem, et aliquid timoris tunc solummodo afferret, eum magnum aliquem nervum, puta ischiadicum, invaderet, et dolor tamdiu permaneret, ut partes maerescerent, suamque nutritio amitteret actionem, unde macie plus minusve generatim progrediente et praecedentibus febris hecticae nervosae symptomatibus aeger ad interitum properaret

*Cura*

Nos haud volumus, nec enim fieri posset, innumera illa proferre medendi genera, quae contra nevralgias semper proposuere astutissimi circulatores, et homines nimis creduli inconsulto acceperunt Quod rationi consentaneum et efficax habet ars in intricatis hisce et obscuris morbis, id omne ad sequentes propositiones reduci potest.

1. Quemadmodum et nos statuimus, et omnes opinantur pathologi hosce morbos indolis esse hypersthenicae, sic cura efficaciter antiphlogistica ab initio, ac deinceps levis apte indicatur, utiliterque proponitur Hinc iteratae sanguinis missiones prout aeger pati potest, hirudines affecto loco adplicatae, interior methodus evacuationem promovens, emollientia emplastra, unctiones ex belladonna et hyoscyamo opportunissima sunt remedia.

2 Si phlogosis typum resumit regulariter intermittentem, ad chininae sulphatem confugiendum est, quemadmodum contra febres intermittentes praescribitur.

3. Ubi assiduus est dolor et paroxysmos offert, non tamen phaenomena aperte inflammatoria exhibet, post sanguinis missiones ac hirudines frictio aut ex opio, aut belladonna, aut cicuta adhibebitur Si stimulanti, et non narcoticae aut sedanti opii proprietati fidem habemus, eo numquam nos utemur, etsi inter usitatissima gallicae therapiae remedia enumeretur

4. Veluti succedanea illi tractandi rationi, quam in primo paragrapho innuimus, praescribi poterunt volantia vesicatoria, interius vero acetas aut hydrochloras morphinae ad grani fractionem.

5. Iis aegris, in quibus dolor assidue permanet, nec praedictis curandi methodis paret, proderunt revulsiva remedia, irritantes nempe frictiones localiter adhibitae, moxa et vesicantia.

6. In plerisque nevralgiis acutis, aut chronicis et etiam inveteratis, chirurgus haud abstineat ab aquae dulcis, aut thermalis balneo, et coenorum usu, partemque affectam adplicato lanei textus (vulgo flanella) involucro fovebit.

7. Magis usitata, majorisque efficacitatis remedia, quae adhibeantur interius, sunt emollientia et deprimentia nervosa, ac antispasmodica, hyposthenisantia vascularia levia et diaphoretica. Cum de aegris nervoso temperamento praeditis actum est, ad valerianam confugiendum fuit, ad moschum, ad camphoram, ad assam foetidam, ad ferri carbonatem a scrupulo per diei spatium usque ad triginta grana. Tandem Mylin pilulas aequis partibus compositas, idest grano hyoscyami, valerianae et oxydi zinci, potissimum veluti remedium proposuit.

8. Angli ac praecipue Chyme, Hume, Recamier, Martinet optimum contra nevralgias remedium pro interiori usu proclamarunt terebinthinae essentiam. Nihil est, cur nos hoc pharmacum commendemus, cum tanta sit expertorum auctoritas.

9. Ubi omnia, quae indies vimus, subsidia nihil profuerunt, ad varium empiricorum usum, nempe ad electricitatem, ad galvanismum, ad acus puncturam cum utilitate et efficacitate recursum est: quae sane remedia quo agant modo omnes nescire fatentur. Si factorum experientia aliquid nobis auctoritatis attulisset, hoc in loco aetherem etiam sulphuricum adderemus; sed ejus usum, cum de nevralgia superorbitali obstinata ageretur, inefficacem expertus est in clinica medica professor clarissimus Corneliani. Aliis fortasse progressu temporis magis, quam nobis, sors arridebit.

10. Si omnibus, quotquot indicatae sunt, methodis, curandique rationibus obsistunt nevralgiae, nervosque invadunt, quorum incisio sine periculo fieri potest, multis in casibus eosdem detegi opus est, et transversa caesione obtruncari. Haec operatio felicem saepius habuit exitum, cum ad frontem subter foramen infraorbitale adhibita fuit, et ad canalis maxillaris inferioris orificium.

Doloris sedes et cognitus nervi affecti transitus in causa sunt, cur practicus hasce sectiones tuto exequatur, qui majori interdum cum utilitate valde extensam nervi dolentis partem recidet. Etsi haec omnis prudentissime praecaveantur, non raro tamen evenit, ut dolores jam sedati valdeque imminuti rursus producantur, sive ob directam recisarum extremitatum obductionem cicatricis, sive propter intermedium affecti nervi cum aliis ejusdem regionis anastomosim.

Chirurgus hoc in casu, quae antea adhibuit, remedia relinquat, et ea, quae nondum tentavit, diligenter experietur.

Hactenus de nervorum laesionibus breviter quidem, sed clare aliquid dictum est et explicatum. Nihil novi per nos addi potuit, et quale demum cumque hoc est, id omne ex variis auctoribus collectum fuit, ut particulae huc illuc dispersae in unum quoddam coalescerent Parvum hoc opusculum non ingenium patefacit, sed patientiam, quae si in pretio habenda est, mihi quoque aliquam laudem partum iri confido

## THESES DEFENDENDAE

I

Morbus externus saepe internae salutis fons.

II.

Inceptus processus phlogisticus non illico vincitur, sed sua stadia percurrere necessario debet.

III

Haemophthisis non unice ab inflammatione organorum respirationis dependet.

IV.

Semel apoplecticus semper apoplecticus.

Hippocrates

V.

Arthritis podagrica non semper ab affectione tubi gastro-enterici sustinetur.

VI.

Sympathia membranarum a Bichat admissa non sufficit ad expendendum transitum doloris arthritici ab una ad aliam articulationem.

VII.

Dolor arthriticus vagans fere numquam affectionis localis signum.

VIII.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem.

Ovidius